

ferendum præcise non requiri, verum non est, si de translatione dominii vera loquamur, sed de ficta, & in dicto casu ideo introducta maxime ut legatarius, post diem legati cedentem decedens, ad hæredem legatum transmittat. L. 3. & L. 5. quando dies leg. Vinn. ad pr. Inst. de leg. n. 4. Quod autem hoc casu traditio non requiratur est principaliter ex beneficio legis civilis, non vero ex simplici jure naturæ, quod lex civilis in usum revocat. Ex his, ni fallor, satis fieri potest argumento à dissentientibus proposito, videlicet: quod non in omni alienatione requiritur, illud ipsum non est per se ad alienationem adeoque ex jure naturæ necessarium. Traditio non in omni alienatione requiritur. E. Major illis videtur evidens, quia à negatione universalitatis, ad negationem per seitatis legitima est consecutio. Minorcm vero probant ex alienatione, quæ fit per beneficia ut in legatis; Si enim terminus medius argumenti sumatur de omni alienatione vera & ficta illud totum concedimus. Si vero de alienatione propria accipitur, minor propositio cum ejus probatione falsa est. Non itaque habet sese traditio. (i) per modum requisiti utilis & quandoque necessarii, quia per traditionem securitas incertitudinis domini-